

supra palatium domini Episcopi Papiensis. Dominus Albertus Archipresbiter Ecclesie sancti Dalmatii de Alexandria missus, & procurator totius communis Alexandrie in spirituali, & seculari causa, sicuti per publicum instrumentum apparet ad appellationem faciendam ad summum Pontificem a D. Episcopo Papiensi pro causa, quae vertitur inter Episcopum Astensem, & homines Alexandrie civitatis de loco, & Ecclesia Quargnenti cum instantia appellavit, & apostolos postulavit. Prædictus Archipresbiter hanc chartam fieri rogavit, ut supra. Interfuerunt testes rogati Saracenus de Burgo, Otho de SS. Trinitate Notarius, & Raimundus Catalanus, & Rainerius de Alexandria filius Henrici Calcamugii.

Procuratio Præpositorum Ecclesie majoris, & Ecclesie SS. Laur., & Clemen. in Archipresb. S. Dalmatii ad appellandum ab Episcopo Papiensi ad S. Pontificem

112

MCCII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCII. indict. V. die Veneris 13. julii (1) in Alexandria præsentia testium, quorum nomina subter leguntur. Dominus Hugo Caneirus Præpositus majoris Ecclesie sancti Petri, & dominus Assalitus (2) Præpositus sancti Laurentii, & Clementis, & dominus Opizzo de Ossa (3) Alexandrie potestas constituunt dominum Archipresbiterum S. Dalmatii de Marengo indicum, & procuratorem ad appellandum super omnes causas a summo Pontifice domino Papiensi Episcopo commissas pertinentes ad civitatem Alexandrie tam ad clerum, quam ad populum, eo quod habent literas commissionis suspectas, & præfatum Episcopum similiter suspectum, & promittunt quod habebunt firmam, & rectam appellationem factam a præfato Archipresbitero, & inde hanc chartam fieri rogaverunt, ut supra. Interfuerunt testes rogati Bardonus de Papia, Albertus Corsicus, Otho Passantus ambo de Alexandria.

(1) Ghilinius hanc cum præcedenti confundens ambas refert ad diem 19. julii, cui neutra congruit. Sed si duæ sunt, quomodo conciliari hæc possunt? Inde enim colligeretur, appellasse, antequam delegationem recepisset. At in præcedenti charta appellavit ut delegatus a Civitate, in hac vero recipit Cleri Civitatis procuratorem, qua sit, ut in sequenti, & ut delegatus a Civitate, & Clero appellet.

(2) Cum hic scriptor horum virorum deputationem meminisset, post Assaliti nomen vacuum spatium punctis notavit, quasi cognomen deesset: quod ego inutile puto, cum schedæ Burgontianæ, a quibus hæc desumsi, nil horum habeant, & Assaliti nomen proprium sit sine addito. (3) Hujus nomen omisit Ghilinius.

Appellatio Populi, & Cleri Alexandrini ab Episcopo Papiensi ad S. Pontificem in causa Quargnenti.

113

MCCII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCII. die Sabati 13. calendas Augusti (1) infra Lobiam D. Bernardi Papiensis Episcopi, & ante ejus præ-

sentiam D. Albertus Ecclesie S. Dalmatii de Portamare (2) Archipresbiter, nec non Syndicus, & Procurator a Clero, & a Potestate Alexandrie nomine Communis Clericorum, & Laicorum ipsius Civitatis constitutus, prout in quodam publico instrumento apparebat, viva voce jam dicto D. Bernardo Papiensi Episcopo appellavit ad summum Pontificem super literis commissionis, quas jam prædictus Episcopus habuerat ex delegatione summi Pontificis, & specialiter super causa Quargnenti cum spirituali, quam etiam temporali. Hanc quidem appellationem fecit præfatus procurator, quia jam dictus D. Episcopus suspectus est Clero, & Potestati Alexandrie, & cum instantia apostolos postulavit. Prædictus Archipresbiter hanc chartam fieri jussit. Interfuerunt Robertus de Pontio, & Jacobus de Madria, & Lanfrancus de Pasquali testes.

(1) Error est in die Hebdomadæ. 13. cal. aug. erat dies Veneris. (2) De Porta Marenga.

20

Confirmatio D. Puncii M. Ponzonei fœderis inter Alexandrinos, & M. Othonem de Carreto.

MCCII.

114

Anno Incarnationis Dominicæ MCCII., indictio-
ne V., die martis XII. (1) exeuntis Augusti in Alexandria in Ecclesia S. Petri in pleno consilio ec. D. Puncius marchio de Pulzono promisit observare, per se, & per suos homines concordiam factam inter D. Opizonem de Ossa Potestatem Alexandrie ec., & Othonem de Carretto ec. excepto quod non tenetur emere domum, nisi de libris 25. cum D. Anrico fratre suo, & Petro suo consanguineo, & infrascriptus D. Otto eodem modo se, & sua obligavit pro ipso Puncio, sicut obligavit per se, & inde hanc chartam ec.

(1) Schiavina legit XV., sed male; & rectius Ghilinius ait die XII. augusti juramentum a Pontio præstitum. Sed vera lectio est XII. exeun. aug., quæ incidit in diem 20. aug.

Deditio Consulum Aquexanæ castrorum suorum Reipublicæ Alexandrinæ ex Archiv. Civ. Alex.

MCCIII.

115

Anno Dominicæ Incarnationis MCCIII., indictione 6., die Dominica 9. intrantis februarii, in Ecclesia S. Johannis de Cunchis (1) D. Jordanus de Aliano, Gilius de Aliano, D. Mainfredus Presbiter de Aliano, Vermus Mussus de Aliano, D. Vitalis de Viginti, Oglerius Danisius, Albertus de Canellis, Jacobus Corbellarius, Petrus de Septemannis, Rufinus Confanonerius, Surdinus de Canellis, Vermus Mastorcus, Sivolet de Canellis Mainfredus Lambruscus, Anricus Mastorcus, Anfaldinus de Canellis, Suzus de Calamandrana, Rufinus Croza, Otto Corbellarius, Gandulfus de Calamandrana, Guertzus de Crocis, Albertus de Bosco, Sivolator de Laneriis, Sempius de Calamandrana, Oglerius de Bosco, Albertus Dardanisius, Jacobus Alberti de Masio, Bonifacius Dardanisius, Rufinus de Alice, Guido de Lintignano, Obertus de Lintignano, Vermus Lisna de Alice, Bonifacius de